Tokarski Francisci Quaestio physica de causa in communi.


Biblioteka Jagiellońska
stdr0001740

In Nomine Domini, Amen.

QVÆSTIO PHYSICA,

DE

CAUSA IN COMMUNI.

SVB



FELICISSIMIS AUSPICIIS,

Magnifici, Perillustris, & Adm: Reuerendi Domini,

D. M. SIMONIS STANISLAI MAKOWSKI,

S. Th: Doctoris & Professoris, Collegæ Majoris, Ecclesiæ Colleg: S. FLORIANI Custodis, Curati Nasiechouicẽsis, Contubernij Hierosolymitani PROVISORIS, S. R. M. SECRETARII, Almæ Vniversitatis Cracoviensis, Generalis & Vigilantissimi

RECTORIS.

A

M. FRANCISCO TOKARSKI,

Philosophiæ Doctore & Professore,

Pro Collegio Minori,

Publicè ad disputandum,

In Peraugusto DD. Theologorum Lectorio,

PROPOSITA.

Anno Domini, 1681. Mense Nouembri, Die 15. Horâ 14.

CRACOVIÆ, Typis Vniversitatis.

QVÆSTIO PHYSICA,
De Causa in Communi.

V. Causa, quæ est id, ad cujus esse sequitur aliud; realiter distincta à suo Effectu: quo prior & perfectior est; rectè & vniuocè in quatuor Causarum Genera diuidatur; nec ne?

CONCLUSIO I.

Causa est id, ad cujus esse, sequitur aliud.

COROLLARIA.

I. *Licèt omnis Causa possit habere rationem Principij, non tamen omne Principium potest esse Causa.*

II. *Ly* Esse, *intelligitur vel* Reale, *vt est Causæ Materialis, Formalis & Efficientis: vel* Intentionale, *vt est Causæ Finalis.*

III. *Non tantùm influxus Causæ, sed & dependentia Effectûs, exigitur ad rationem Causæ.*

IV. *Consecutio hæc, quæ exprimitur per ly* Sequitur, *non debet intelligi Logica, sed Physica.*

V. *Ly* Aliud, *& ly* Alius *differunt inter se: &* Approximatio *nec est Causa, nec Causalitas, sed tantùm Conditio ad Causandum requisita.*

CONCLUSIO II.

Causa realiter distinguitur à suo Effectu.

COROL-

COROLLARIA.

I. *Potest diuinitùs, & per potentiam obedientialem, idem Effectus esse sui ipsius Causa: non quidem quoad primo; sed quoad secundo esse.*

II. *Distinctio realis Causæ ab Effectu, etiam secundùm ipsum influxum ejus realem, dignosci potest.*

III. *Licèt Causæ quædam non sint separabiles à suo Effectu, non obest tamen quominùs distinguantur realiter ab eo.*

IV. *Perfectio major, vt est in Æquiuocis, æqualis verò in Vniuocis, potest esse fundamentum Majoris vel Minoris distinctionis Causæ à suo Effectu.*

V. *Causalitas Physica tendit ad Entitatem Physicam, vt est à parte rei; & non secundùm considerationem Metaphysicam, quam habet ad intellectum.*

CONCLUSIO III.

Causa est prior suo Effectu, non tempore, sed Naturâ, & perfectior illo secundum Quid.

COROLLARIA.

I. *Prioritas hæc Causæ, vt est in actu Secundo, non est prioritas in* Quo *sed à* Quo.

II. *Causa & Effectus, sumpta formaliter, id est, per respectum Vnius ad aliud, nullam habent prioritatem.*

III. *Etiam ex parte ipsarum Causarum, ad constitutionem Compositi concurrentium, datur prioritas & posterioritas.*

IV. *Simpliciter seu in Esse Entis loquendo, Causæ Intrinsecæ sunt imperfectiores suo Effectu; Causæ verò Extrinsecæ, aliquando sunt perfectiores, aliquando æquè perfectæ, & aliquando imperfectiores.*

V. *Effectus tamen comparatus cum suis Causis Intrinsecis, simul sumptis, est omninò æqualis perfectionis cum illis.*

CONCLUSIO IV.

Causa rectè & Univocè dividitur in quatuor Causarum Genera, id est, in Causam Materialem Formalem, Efficientem, & Finalem.

COROLLARIA.

I. Prædicta Causarum Genera, habent inter se quoddam & strictum Vinculum.

II. Causa Formalis cum Finali; Materialis cum Efficiente sæpè coincidunt, si sumantur Entitatiuè seu Materialiter; non tamen si Formaliter.

III. Idea quoquè seu Exemplar, est verè Causa, pertinens proprie ad Genus Causæ Formalis Extrinsecæ; impropriè verò ad Genus Causæ Efficientis & Finalis.

IV. Idem, secundùm diuersas rationes, potest esse & Causa & Effectus.

V. Ratio Causæ, intimè clauditur in prædictis Generibus quoad rationem Entis, non tamen quoad rationem Causandi.

Quæ omnia Supremæ & Æternæ Causæ DEO Glorioso, Intemeratæ VIRGINI MATRI: Divo Patriarchæ IOANNI CANTIO, totique Curiæ Cœlesti, in Laudem Honorem & perpetuum cedant Cultum.





Permissu Magnifici D. Rectoris.

